SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO AUGUSTANO

AUGUSTANAE CONFESSIONI

ADDICTO

A. D. V. KAL. SEPTEMBRES MDCCCXLVII

RITE CELEBRANDA

RECTORIS ET COLLEGARVM NOMINE

INDICIT

JACOBUS CAROLUS EDUARDUS OPPENRIEDER

III. CL. SCHOLAE LATINAE PRAECEPTOR.

INSUNT QUAESTIONES LUCRETIANAE.

AUGUSTAE VINDELICORUM,

TYPIS WIRTHIANIS.

Quaestiones Lucretianae.

T. Lucretii Cari poema de Rerum Natura quum primis post renatas literas antiquas saeculis viris doctis vel imprimis fuisset in deliciis, quumque ea aetate saepissime typis exscriptum esset, summique viri in eo interpretando et ad pristinam formam revocando intentissimam posuissent operam, in quibus unum Dionysium Lambinum nominasse instar omnium erit, nostra tandem aetate eo res devenit, ut virorum doctorum studia exercere, ut vel lectitari prope desitum sit. Quod immerito ei poetae accidisse nemo erit qui neget, qui quidem sententiarum pondus, sermonis antiqui majestatem atque gravitatem, imaginum vero ubertatem atque jucunditatem, digressionum etiam dulcedinem degustaverit. Testes ex superioribus literarum antiquarum existimatoribus sunt multi, ex recentioribus autem clarissimus Knebelius, qui ita hujus poetae leporibus captus atque delenitus fuit, ut studium ejus vertendi per magnam vitae partem assiduum comitem retinuerit. Unde autem nihilo minus factum sit, ut adeo in situ atque oblivione jaceret, longum est neque hujus loci exponere; hoc autem animadvertere videor jam laetiorem aetatem Lucretio exoriri coepisse virorumque doctorum oculos cum maxime magis in illum converti. Quae res hunc imprimis fructum tulit, ut jam de codicibus, quibus T. Lucretii poema asservatum est, multo verius judicandi nobis potestas sit multoque prudentior delectus eorum habendus, quam a prioribus editoribus factum esse videmus. Atque hoc imprimis Joh. Nicolaus Madvigius praestitit, qui programmate academico *) codices, quos quidem accuratius novimus, sub censuram vocavit exque iis imprimis duos Lugdunenses ab Havercampio collatos ita plurimi faciendos esse docuit, ut reliquorum varietatem omnem nullius pretii esse existimare deberemus. Quam rem quum etiam nos verissimam esse putaremus, aliquot locos tractandos delegimus, ubi sive

*) In Opusculis Academicis, Havniae 1834.

propter minus recte intellectam sententiarum progressionem sive propter auctoritatem recentissimo cuique codici falso tributam, immerito optimorum illorum codicum lectio ab editoribus rejecta esse videatur. Illos autem meliores codices quum idem Madvigius docuerit in apertissimis etiam vitiis conspirare, ut ex uno eoque ipso corrupto exemplari archetypo illos descriptos esse appareat, fieri non potest, quin etiam multa conjectura emendanda relinquantur, quare ne nos quidem a conjectura plane temperavimus.

Occupatur poeta inde a versu 217 libri I. in eo, ut demonstret, nihil in rerum natura penitus interire, sed omnia a natura tantum in particulas suas primas h. e. in atomos dissolvi. Cujus rei cum alia tum hoc affert argumentum, si res, quae viderentur, penitus perirent, unde novae res oriantur, non posse cogitari; animalium enim tum sobolem tum ipsum incrementum, aquarum e mari atque fluminibus evaporantium supplementa, siderum denique succrescentem lucem non posse aliunde enasci atque ex particulis earum ipsarum rerum, quae periisse videantur. Quod ita dicita versu 2 25:

Praeterea, quaecunque vetustate amovet aetas,
Si penitus perimit, consumens materiem omnem,
Unde animale genus generatim in lumina vitae
Reducit Venus; et reductum daedala tellus
Unde alit atque auget, generatim pabula praebens?
Unde *mare ingenui* fontes *externaque* longe
Flumina suppeditant? unde aether sidera pascit?

Ita hic locus scribendus est cum codibus melioribus, ita etiam interpungendus. Editores autem recentiores praeeunte Wakefieldio quum, quid diceretur, non satis perpenderent, pro *externa* ex codice aliquo ejus generis, quod Madvigius nullius omnino momenti esse docuit, receperunt *aeterna* et post *mare* inciderunt. Quum enim *suppeditant* intransitive dictum putarent, *mare* pro casu recto accipientes junxerunt: *unde mare (et) ingenui fontes et aeterna flumina suppeditant* (h. e. renascuntur, accipiunt aquam)? *Aeterna flumina* dictum putarunt, ut Hesiodus ἀέναοι ποταμοί et Ennius *perennes amnes* dixisset. Poterant etiam ad Lucretium ipsum provocare, qui et ipse hanc phrasin *amnes perennes* Vv. 464. ab Ennio mutuatus est et ejusd. Libri versu 263 *perennes latices* dixit. Sed ut taceam particulam *longe* ad *aeterna* adjectam plane languere, hanc mutationem ita tantum admiserunt, quod quid *externa flumina* sibi vellent, iisque ingenuos fontes opponi non cogitarunt. *Ingenui* enim *fontes* hic nihil aliud sunt, nisi quos infra dicit VI, 614. *suos fontes,* h. e. *in* mari ipso *geniti,* quibus *flumina externa* h. e. procul a mari orientia recte opponuntur. Dupliciter enim secundum Lucretium jactura aquae, quam mare facit, compensatur, cum fontibus in ipso scaturientibus, tum fluminibus extrinsecus venientibus, id quod intelligitur e compluribus locis *cf.* I, 1031. II, 591. VI, 610

sqq. 633 & 635. Verbum igitur suppeditandi hoc loco non intransitive sed active sumendum et comma, quod post *mare* in editionibus recentioribus legitur, delendum est, ut haec sit sententia: *unde fontes in mari ipso geniti et flumina longe externa* (h. e. e remotis regionibus venientia) *suppeditant* (h. e. integrant) *mare*, *si aquae, quae perire videntur*, *vere pereunt?* Quae si ita sunt, in meliorum codicum lectione acquiescendum esse apparet.

Idem, quod modo posuerat, nihil in nihil posse reverti, alio etiam argumento quum comprobare studuisset, hanc addit clausulam v. 249, 250:

Haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes
Discidio redeunt *in corpora* materiaï.

Quae verba prorsus nullam difficultatem habent, nisi quam editores invexerunt; corpora enim materiaï ut saepe (I, 353, 567. II, 878 etc.) sunt primordia sive atomi, in quas e ratione Epicuri omnia resolvi constat Sed quum in codicibus aliquot, quos nullius auctoritatis esse negari non potest, pro *in corpora materiaï* legatur *in corpore materiaï,* hanc lectionem, quae apertum mendum est, editores in textum receperunt, item praeeunte Wakefieldio, qui nescio quam prosopopoeïam odoratus ad Vergilium provocat, qui simili ratione *corpus Turni* pro ipso Turno posuisset (Aen. VII, 605.) Dicit enim:

Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Sed quis non videt, *corpus Turni* hoc loco, cum praesertim de pulchritudine ejus sermo sit, pro ipso Turno optime dici, apud Lucretium, ubi loci ratio nullum ejusmodi ornatum requirit ac ne admittit quidem, tali neque circumlocutioni neque prosopopoeïae locum esse? Accedit, quod ne latine quidem dicitur *in corpore* pro in *corpora redire*, quodque, si vel maxime dici posset, sensus ab hoc loco alienus exsisteret; namque *corpus materiaï* sigulari numero nihil aliud posset esse nisi universum ipsum, quod *Omne* appellare solet poeta et *summam totam;* at in Omne res non possunt redire, quum in eo numquam non insint.

Novum ejusdem rei argumentum tum sequitur inde depromtum, quod in rerum natura aliud ex alio refici videmus, ex imbribus enim nasci fruges arboresque, hinc genus humanum atque ferarum ali, hinc hominum sobolem nutriri I, 256:

Hinc laetas urbes pu*erûm* florere videmus.

Ita aperto soloecismo admisso Wakefieldius, quique eum secuti sunt, Eichstaedtius et Forbigerus e codd. deterioribus. Quam lectionem ut defenderet, duos locos Wakefieldius, alterum Vergilii alterum Manilii, ita effinxit, ut in rem suam facere viderentur. Atque Vergilianus est Georg IV, 563, 564:

Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Hic post *studiis* incidens idque ad *alebat* trahens genitivum *ignobilis oti* a *florentem* pendere nobis vult persuadere, id quod nemini eum probaturum puto.

Manilianus autem locus (Astron. IV. 687) hic est:

. . . . Graecia . . .
Maxima terra viris et foecundissima doctis
Urbibus: in regnum florentes oris Athenae,
Sparta manu etc.

Qui locus quum magna difficultate impediri non immerito videretur, audacissime a Wakefieldio ita transformatus est, ut *florere oris* jungatur: ita enim legit:

Maxima terra viris! *en* foecundissima doctis
Urbs una ingeniis, florentes oris Athenae.

Non est nostri officii, hujus loci rationem penitus pertractare, hoc tantum addidisse sufficiat, non tam acri medela opus esse videri; haud scio, an satis sit pro *in regnum* (h. e. in regnō) legere *in regno*, ut sit jungendum *florere in re*, sicut Nep. Ep. V. dixit *florere in re militari* Cic. de Orat. I. 2. *in iis floruerint; regnum* autem *oris* apud Manilium nihil aliud erit, quam quod alibi dixit *regnum loquendi.* Haec autem utcunque erunt, hoc constat, neutro loco insolentem istam constructionem verbi florendi fulciri posse. Accedit, quod ipse Lucretius verbo florendi legitima structura adhibita saepius utatur (V, 910) *arbusta gemmis florent*, V, 1278 *laudibus floret res.* V, 1441 *mare velivolis floret.* Nonne igitur, etiamsi a melioribus codicibus exhiberetur illud *puerûm florere*, id conjectura corrigendum erat? Nunc autem, quum tantum e codicibus nullius momenti desumtum sit, nemo, opinor, dubitabit, tam turpem maculam e splendido Lucretiani carminis speculo eluere.

Postquam deinde docuisse sibi visus est poeta, praeter corpora prima et inane nullam esse tertiam naturam, qualia primordia ipsa cogitari debeant, exponit eaque primum solida esse h. e. jam non posse amplius dividi dissolvique ostendit, unde eas atomos apud Epicurum, individua corpora apud Ciceronem dici constat, quibus vocabulis ipsis Lucretius, quamquam alias neque novorum neque Graecorum verborum fastidiosus est, nusquam utitur. Hoc autem loco, ut soliditatem primordiorum demonstret, imprimis ei curae est, ad eamque rem designandam his fere utitur formulis: *Primordia nulla potest vis stringere; solido atque aeterno corpore constant; solido corpore vincunt; materies aeterna est; non possunt plagis dissolvi neque retexi; non possunt collidi nec frangi nec in bina secando findi; corpore immortali sunt primordia; sunt solida simplicitate; natura finem frangundis rebus paravit; frangundi reddita finis est; solida pollent*

simplicitate; frangundis rebus finis reddita est; non fragili corpore constant; materies debet immutabile corpus habere; pausa stat fragori; corpora volitant invicta per aevum; partes primordiorum haerent, unde queant nulla ratione revelli; non in minimas partes cuncta resolvuntur.

His omnibus formulis idem fere significari patet; in iis autem, quas duas postremas posui, quum ab editoribus non satis consideratae in causa fuerint, ut non uno loco lectio perperam mutaretur, paulo diligentius immoremur simulque eorum, qui de hoc loco commentati sunt, sententias accuratius excutiamus, quum ita totius loci ratio facillime patefactum iri videatur. Sunt autem hae formulae, quas modo dixi I. v. 608 *partes primordiorum haerere, unde queant nulla ratione revelli* et v. 629 *non in minimas partes cuncta resolvi.* Patet hinc, primordia e philosophia Epicurea, quamvis simplicia dicantur, tamen ipsa e minimis quibusdam particulis constare, ita autem constare, ut a se invicem divelli non possint hae particulae. His autem jam ipsis partes non esse v. 603, iisque minus cogitari nihil posse v. 615 — 625 docet. Quae quum per se constare non possint, novum inde argumentum sumit, unde primordiorum soliditatem evincat. Has enim particulas minimas appellat, eaeque, utpote atomorum partes, ab ipsis atomis plane distinguendae sunt. Primordia autem his particulis constare illa quidem dicit, sed non ita, ut ullo tempore earum conventu orta esse, sed ab omni inde aevo ex iis composita exstitisse et in omne aevum ita exstitura esse dici debeant, 610 — 615.

Has autem minimas particulas, quibus aliae minores non exsistant, statuendas esse, eo docet, quod, si dimidia quaevis pars semper dimidiam partem haberet, minimum quodque corpus ex totidem partibus constare necesse sit, atque maximum h. e. ex infinitis, id quod absurdum sit.

Quam particularum minimarum doctrinam quum non satis perspectam haberent editores, tribus locis sine causa atque, ut totius disputationis rationem perturbarent, a codicum lectione recesserunt, v. 612 ubi *ullorum* pro *illorum*, 629 ubi *ni* pro *si* et v. 633 ubi Lambinus, quique illum secuti sunt, Creechius, Havercampius, Bipontini, pro *nullis multis* legerunt, quod, si sibi constare vellent et de aliquo sensu solliciti essent, etiam Wakefieldius et ceteri, quum in reliquo loco constituendo Lambini rationem amplexi essent, facere debebant.

Ac primus horum locorum inde a versu 610 ita se habet:

Sunt igitur solida primordia simplicitate,
Quae minimis stipata cohaerent partibus arcte;
Non ex *ullorum* conventu conciliata,
Sed magis aeterna pollentia simplicitate.

Pro *ullorum* autem legitur in codicibus optimis Gottorp. Lugd. 1 et 2 *illorum,* quod editores in *ullorum* mutarunt, quasi diceretur, primordia non ex conventu

ullarum rerum conciliata esse. Sed quum de nullarum rerum conventu, e quibus primordia orta sint, cogitari possit nisi particularum minimarum, hoc dicendum erat, quare aut *illorum* retinendum et per Synesin ad *partibus minimis* v. 609 referendum, id quod Siebelisio placet (Quaest. Lucret. pag. 46 *) aut, quod haud scio an praestet, facili unius literae mutatione pro *illorum illarum* legendum videtur.

Alter autem et tertius e locis, quos supra memoravi, in his sunt versibus, qui e lectione Lambiniana a v. 629 ita leguntur:

Denique *ni* minimas in partes cuncta resolvi
Cogere consuesset rerum natura creatrix,
Jam nihil ex ollis eadem reparare valeret:
Propterea, quia, quae *multis* sunt partibus aucta,
Non possunt ea, quae debet genitalis habere
Materies, varios connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus, per quos res quaeque geruntur.

Ac primum quidem adnotandum est, *ni* (v. 629) tantum per conjecturam Lambini legi et in codicibus omnibus *si* inveniri. Havercampius quidem de suis codicibus tacet, sed quum Bertinianus Lambini ita legat, quocum illi fere consentiunt, quumque alias ille vir doctus etiam paulo negligentiorem in afferendis codicum lectionibus se praebuerit, nihil ei rei tribuendum videtur.

Item v. 631 in codicibus omnibus non *multis* sed *nullis* invenitur, in quo Wakefieldius et recentiores codicum auctoritati obtemperandum duxerunt, Lambini lectionem relinquentes, quam profecto, si lectio *ni* vera esset, id quod ne Wakefieldius quidem negaverat, sensus flagitaret.

Sed operae videtur pretium esse, in varias editorum de hoc loco sententias inquirere. Ac Lambinus quidem mutationum a se factarum has reddit rationes:

„Denique nisi, inquit Lucretius, res creatas in partes minimas (minimas autem partes appellat eas, quibus aliae non possunt esse minores, et ad quas ubi perventum est, res dividi posse desinunt) dividi ac resolvi cogeret: nihil ex illis partibus reparare posset, quaelibet harum partium constaret ex partibus infinitis; at quae multis aut omnino aliquibus partibus constant, non possunt eas res habere, quas materies habere debet, plagas, pondera, connexus etc. *Ni minimas* autem reposui, hanc scripturam sententia ipsa postulante, cum libri vulgares habeant *si minimas,* plane mendose, quam scripturam qui tuentur caecutiunt. Nam Epicurus et eum secutus Lucretius volunt in rebus aliquid esse minimum. Itaque infra paucis post paginis veteres philosophos reprehendit Lucretius, primum quod motum constituant exemto inani, deinde quod faciant non esse finem rebus secandis neque esse quidquam minimum in rebus.“

---

* Lipsiae 1844.

Haec autem summi viri verba non uno nomine sunt reprehendenda. Primum enim dicit, naturam res in minimas partes solvere consuesse ob eamque causam sententia ipsa lectionem *ni* postulari, quod non esse verum Lucretius ipse paucis versibus ante docuerat, negans minimas partes per se constare posse, sed haerere, unde divelli non possent (629), unde apparet, in eas nihil dividi posse. Fraudi autem fuit viro egregio, quod primordia ipsa et partes minimas, e quibus ea constant, eadem esse putavit, quodque, quae de primordiis vere dicuntur, partibus eorum minimis attribuit.

Deinde dicit partes minimas eas a Lucretio appellari, quibus aliae non possint esse minores, et ad quas ubi perventum sit, res dividi posse desinant. Atque hoc quidem vere dicit, partes minimas eas esse, quibus aliae non possint esse minores, quod autem addit, ad partes minimas ubi perventum sit, res dividi posse desinere, plane falsum est, nam e Lucretii ratione ad partes minimas in dividendo nunquam perveniri potest, quum primordia solida sint neque amplius possint secari.

Tum dicit, nisi in partes minimas natura cunctas res resolveret, et si ideo partes, in quas res resolvuntur, et ipsae partes haberent, non posse eas varios connexus pondera, plagas habere, quae materies genitalis debeat habere. Quod contra est. Partes, in quas natura res resolvere consuevit, h. e. atomi, rursus debent partes habere, si ex illis aliae res refici debent. Quod jam per se patet ex ratione Epicurea; nam primordia, ut e secundo libro discimus, alia sunt hamata, alia acuta, alia rotunda, diversas denique habent formas. At quae figuris differunt, partibus differunt, partes ergo habent. Primordia igitur partes habent. Quodsi partes non haberent, ideoque hamata, acuta, rotunda esse non possent, non possent varios connexus, pondera, plagas habere nihilque ex illis posset renasci. Lucretius autem ipse etiam non semel diserte dixit primordia partibus constare, ut v. 600—610 hujus ipsius libri videmus, ubi imprimis v. 606 dicit:

Inde aliae atque aliae similes ex ordine partes
Agmine condenso naturam corporis explent.

Libri etiam secundi v. 485 aperte de partibus atomorum loquitur. Docet enim atomos infinitis formis esse non posse, h. e. atomos finito modo inter se distare, seu numerum figurarum, quibus atomi differant, esse finitum. Cujus rei argumentum profert hoc: differunt primordia partium, e quibus constant, h. e. minimarum, varia positione, atqui paucae partes multum variare non possunt; si igitur infinito modo variare debent, infinitis partibus ea constare ideoque ingentia esse necesse est. Quod quum secus sit, ne infinitis quidem modis differre possunt. Hoc autem in argumento tanquam indubitatum sumitur, atomos partibus constare, hoc negatur infinitis eas constare. In transitu autem adnotemus hunc locum in editionibus, quas vidi, omnibus falsa interpunctione impeditum esse; scribunt enim v. 485 & 486.

. . . Face enim minimis e partibus esse
Corpora prima; tribus, vel paulo pluribus auge;

ubi scribendum, interpunctione post *prima* sublata et post *tribus* posita:

. . . Face enim minimis e partibus esse
Corpora prima tribus, vel paulo pluribus auge.

Postremo dicit Lambinus, si natura cunctas res in partes minimas resolveret, atomos ex infinitis partibus constituras esse. Sed ne hoc quidem verum est; nam etiamsi resolveret natura, tamen minimum in rebus ipsum remaneret, et si minimum erit, res secundum Lucretium (v. 620.) non ex infinitis partibus constabunt.

Haec quidem de iis, quae Lambinus in adnotatione ad priorem locum minus vera attulit, altero autem loco v. 631, ubi *nullis* in *multis* mutavit, haec ejus sunt verba:

„*Quae multis sunt partibus aucta.*] Sic legendum est reclamantibus omnibus exemplaribus, in quibus est: *nullis sunt partibus;* hoc enim significat Lucretius: omnia in minimas partes resolvi solent natura, non infinitas. Hae autem partes minimae sunt corpora prima et primordia rerum, quae in nullas jam amplius partes secari possunt. Hujusmodi autem corpora ad res gignendas sunt aptissima: quod contra si essent multis partibus aucta et si in multas partes secari possent, ea, quae materies genitalis habere debet, habere nullo modo possent, videlicet varios connexus, pondera, plagas etc. Licet etiam legere:

Propterea, quia, quae sunt ullis partibus aucta etc.“

Hactenus vir de Lucretio immortaliter meritus, sed hoc certe loco in altis tenebris versatus. Quae enim hic iterum videmus, Lambinum partes minimas cum atomis confundentem statuere, omnia in minimas partes resolvi solere natura, ejusmodi autem corpora ad res gignendas esse aptissima, quae partes ipsa jam non habeant, quae autem partibus multis aucta sint, non posse habere ea, quae genitalis materies habere debeat, varios connexus etc. omnia jam supra Lucretianae rationi repugnare ostendimus. Hoc unum adnotandum videtur, Lambinum hoc loco formulis: *multis partibus auctum esse* et *in multas partes secari posse,* ut si ejusdem sententiae essent, promiscue uti, quae plane diversae sunt, namque primordia multis illa quidem partibus constant sive aucta sunt, ut supra ostendimus, sed neque illarum conventu conciliata sunt (v. 612.) neque secari in eas propter soliditatem possunt. Dicit porro Lambinus, omnia in minimas partes resolvi solere natura, non infinitas. Sed utrumque negandum fuit; non in minimas, nedum in infinitas partes natura cunctas res resolvit. Infinitae autem partes e Lucretii sententia ne cogitari quidem possunt, quum absurdum sit dimidiam partem semper partem dimidiam habere (620), minimae vero partes illae quidem exsistunt, sed ita ab atomis et a se invicem haerent, ut revelli nullo modo possint (v. 609).

Haec quidem de Lambino. Jam vero videamus, quid ceteri editores, quibus Lambinus mutationes suas probavit, de hoc loco statuant. Atque Creechius, quum in lectione Lambinum sequeretur, tamen aliquanto melius loci rationem perspexit, quum inter corpora prima et partes minimas bene distingueret, quorum illa quidem haud satis commode *„Minimum Physicum"*, has *„Minimum Mathematicum"* appellat. — Ejus haec sunt verba:

„Explicata de Minimo Mathematico sententia ad Minimum suum Physicum redit poeta, quod propter soliditatem, non vero propter exilitatem indissolubile fingit et aeternum, quod iterum versibus septem confirmat; nisi enim ad extremam resolutionem Natura perveniret, nisi omnes, etiam minimas, moleculas explicaret, inepta foret rerum materies innumeris illis, quibus debet subjici, mutationibus atque formis; moleculae enim ex variis partibus connexae, et Inane inter se ex sententia Epicuri continentes, non aequabili pondere, non uniformi motu donarentur: aliorum motibus maligne obsequerentur, ideoque minime connecti possint."

In hisce vera sunt immixta falsis. Vere enim inter *Minimum Physicum*, ut appellat, et *Minimum Mathematicum* distinguit, vere illud. h. e. corpora prima propter soliditatem, non propter exilitatem dissecari non posse arbitratur. Sed haec vocabula ipsa: *„Minimum Physicum"*, *„Minimum Mathematicum"* non satis apta sunt; est enim utrumque minimum Physicum, sed atomos seu primordia nunquam dicit Lucretius minima, quippe quibus partes suae minores sint, et quae Creechius Minima Mathematica appellat, ea nihil aliud sunt nisi partes atomorum tam parvae, ut iis partes jam non sint; sunt autem et ipsa aliquanta, ut minima Mathematica commode dici non videantur. Deinde fallitur, quod v. 629. sq. *minimas partes* de Minimo suo Physico seu de atomis dici putat, id quod contra constantem Lucretii usum esse jam saepius diximus, *minimas partes* tantum atomorum partes dicentis. Fallitur etiam, quod hoc loco doceri putat, omnes naturam res (semper et ubivis) in atomos resolvere, id quod neque hujus loci esset docere, neque semper fieri debere videtur; nihil enim impedit, quominus statuamus, quasdam nonnunquam atomos inter se junctas manere et tamen ad res novas reficiendas adhiberi. Falsum item est, quod dicit, atomos, si ex variis partibus constarent, inane inter se continere; supra enim vidimus, atomos, quum solidae sint, tamen partibus constantes cogitandas esse. Falsum denique est, quod, si partibus constarent, eas connecti posse negat, id quod contra est; si partibus non constarent, eas connecti non posse supra ostendimus.

Quodsi hi viri, quorum sententias modo recensuimus, in multis a vero aberrarunt, ita aberrarunt, ut de quanam re in universum ageretur, intelligerent et multa etiam in singulis bene perspicerent. Sed qui illos secutus est, Wakefieldius plane, ut cum Lambino loquar, caecutit, et ita caecutit, ut Lynceis oculis sibi cernere videatur.

De priore quidem loco v. 629 pauca tantum dicit Wakefieldius: „*Ni:* sed codd. et edd. vett: *si;* et, opinor, vere, si modo probam sequentis versus scripturam restituas:

Denique si minumas in partes cuncta resolvi
Cogere *non suesset* rerum natura creatrix —

Quum vero de suffragiis codicum L. M. apud Havercampi editionem altum sit silentium, licet vix ambigam eos reliquis non refragari, a contextus mutationibus ex ingenio me consultius esse temperaturum existimavi.“

Recte hoc loco Havercampi de codicum Lugdunensium lectione silentio non multum tribuit, sed quam profert conjecturam, *non suesset* pro *consuesset,* ea non minus quam lectio Lambiniana *ni* pro *si* toti loci naturae repugnat et ita tantum vera haberi posset, si *minimae partes atomi* essent, id quod non esse supra ostendi.

Ad v. autem 633 haec dicit Wakefieldiis:

„Editores exemplaribus scriptis, quotquot exstant, reclamantibus ex ingenio dederunt *multis*; mentem poetae non satis perspectam habentes. Lucretius utique opponere vult atomis vel minimis (!) corporibus ea, quae *grandiuscula* sunt et tamen simplicia (!), *nullis* nempe *aucta partibus*, qualia affirmat esse rebus gignendis minus apta: rerum enim creatio non confit, nisi ex corporibus, grandioribus illis quidem, sed quae ex minimis primordiis coagmentantur atque in eadem resolvi possunt. Ex *minimis* igitur particulis non ulterius dividendis, invicem cohaerentibus et commiscentibus, omnia producuntur, non ex corporibus augmine majori, quae in minima primordia se dissolvi negant.

Porro ex Lucretii sententia aliud obstat, quominus corpora, res omnes efficientia, sint grandiora. et pariter individua: figuras utique omnigenas per se haberent, nondum collisa atque intermixta; uti docet noster II, 494:

Ergo formaï novitatem corporis augmen
Subsequitur.

Iis tamen, qui censebunt minime his esse acquiescendum, non improbabilem conjecturam propinabimus; unde, literis colliquefactis, lectio recepta facile exoriri poterat:

— nullis sunt partibu' secta:

Vide v. v. 534, 747.“

Videmus igitur Wakefieldium, qui ceteros editores mentem poetae non satis perspectam habere initio arguisset, ipsum tamen sub finem de veritate expositionis suae dubitasse, quum nobis conjecturam „propinaret“, qua omnia, quae paula ante dixerat, confutantur. Est autem difficile verum ejus explicationis sensum perspicere et, si vere Polynices Euripideus orationem veritatis simplicem praedicat, vel hinc de ejusdem veritate dubitare licet.

Hoc quidem statim ab initio apparet, reliquorum erroris, *minimas partes* et *atomos* easdem putantium, eundem non esse immunem; dicit enim: *atomis vel minimis.* Sed etiam plane nova et inaudita comminiscitur. Loquitur enim primum de *corporibus grandiusculis* et tamen *simplicibus,* nempe nullis partibus auctis, et eadem Lucretium rebus gignendis minus apta esse dicere putat. Sed qui Lucretius ea rebus gignendis minus apta esse dicere poterit, quum ne esse quidem ejusmodi corpora cuiquam in mentem venerit vel venire possit sine repugnantia? Deinde e Lucretii sententia creationem putat vere fieri e corporibus grandioribus illis quidem, sed quae ex minimis primordiis coagmententur atque in eadem resolvi possint. Quod hoc loco dicit, creationem e Lucretii sententia fieri e corporibus grandioribus illis quidem, sed quae ex minimis primordiis coagmententur, hoc, si recte h. e de atomis intelligatur, ferri quodam modo possit; atomi enim cum partibus suis comparatae vere corpora grandiora dici possint exque minimis, non quidem primordiis, sed tamen partibus constantia. Sed ipse Wakefieldius ita intelligi noluit; addidit enim ea corpora grandiora non tantum ex minimis primordiis (quae est contradictio) coagmentari, sed in eadem etiam resolvi, id quod in atomos non cadit. Quodsi igitur illa corpora, e quibus Wakefieldius creationem fieri putat, neque sunt atomi neque corpora minima, quid tandem sunt? Nonne sunt plane nova res, de qua neque Democritus neque Epicurus neque ipse Lucretius, vel si quis alius philosophiae atomisticae patronus est, nobis quidquam reliquit? Estne autem verisimile de re tanti momenti, si quidem vera sit, nullum usquam vestigium remanere? Quare nemo dubitabit, quin haec tota doctrina de corporibus grandioribus, e quibus creatio fiat, quaeque ex atomis constent in easque resolvantur, mera sit fictio Wakefieldii loci rationem non perspicientis.

Quod autem postremo posuit Wakefieldius et allato loco II, v. 495 confirmare conatus est, vel id obstare e Lucretii sententia, quominus corpora illa grandiora essent individua, quod figuras omnigenas haberent, ne hoc quidem verum est, nam quod II, 494 dicit:

> Ergo formaï novitatem corporis augmen
> Subsequitur,

hoc non dicit, quod ille vult, formarum variantiam ac multitudinem e magnitudine atomorum pendere, sed atomorum magnitudinem e formarum variarum numero pendere; cogitari enim potest, quam etiam vere Epicuri et Lucretii sententiam fuisse e v. v. 524 s. s. discimus, plurimas ejusdem formae atomos esse, ut nihil omnino, quantae sint atomi, ad formarum variantiam ac multitudinem intersit. Haec de Wakefieldii explicatione sufficiant. De Forbigero autem et Regniero, recentissimo Gallico editore, quum ille tantum repetat, quae Wakefieldius, hic recepta lectione *multis,* quae Creechius dixerat, non opus est, plura adjicere.

Quibus praemissis paucis, opinor, quid de hoc loco ipsi statuendum putemus, absolvere possumus. Ante omnia, quid poeta sibi probandum sumserit, teneamus, primor-

dia dissolvi non posse. Quam rem quum inde a versu 530 compluribus argumentis probasset, ut duobus novis argumentis fulciret, doctrinam de *minimo* (*ἐλαχίστῳ* Epicuri) interposuit inde a versu 600. Et prius quidem argumentum inde petitum est, quod primordia, quum *partes minimae*, utpote nullis partibus praeditae, per se constare non possent ideoque alicunde haerere deberent, dissolvi non possent. (600 — 615.). Has autem partes minimas, nullis amplius partibus praeditas, vere statuendas esse probatur v. 615 — 628.

Tum alterum argumentum affertur, e doctrina de *partibus minimis* petitum, (629 — 635.) *Partes* enim *minimas* dicit, si quidem in eas, non in atomos, res resolverentur (id quod fieret, si primordia secari possent), non fore aptas ad res reficiendas, quippe quae, partibus carentes, non ita comparatae essent, ut varios connexus, pondera, plagas efficerent. Atqui in aeternum ex materia resolutarum rerum res reficiuntur, quare non possunt res in *partes minimas* resolvi; ergo resolvuntur in primordia, quae ipsa jam non amplius resolvuntur, id quod erat probandum.

Qui sensus quum optime se habeat totique hujus loci sententiae conveniat, nullum mutationibus hic esse locum apparebit, versuque 629 legendum esse: *Denique si minimas*, et v. 632. *quae nullis sunt partibus aucta.*

Sin autem quis haec omnia parum firmo fundamento niti putabit, quod de optimorum codicum lectione, quae est Havercampi in afferendis lectionibus non rara socordia, non plane constet — quanquam, qui omnia perpenderit, eum non dubitaturum puto, quin cum reliquis conveniant isti codices — illi cogitandum esse dico, totius loci rationem ac nexum clarum planumque esse neque ullam dubitandi materiam relinquere, ut non multum codicum auctoritas requiratur nihilque ea prope momenti afferre possit.

Quodsi eo loco, quem modo tractavimus, particulam *si* invitis, ut videtur, libris manuscriptis in *ni* ab editoribus conversam vidimus, in hoc ipso etiam libro alius est locus, ubi sententia ipsa, ut hoc vel reclamantibus libris fiat, efflagitet. Quum enim poeta id agat, ut Platonis aliorumque impugnet doctrinam, omnia in medium niti ponentium, inde a v. 1050 ita dicit e lectione vulgari:

Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium summae, quod dicunt, omnia niti;
— — — — — — — — — — — —
Ipsum si quidquam posse in se sistere credis;
Et quae pondera sunt sub terris, omnia sursum
Nitier, in terraque retro requiescere posta;
Ut per aquas quae nunc rerum simulacra videmus:
Et simili ratione animalia suppa vagari
Contendunt, rel.

Antipodum, ut graece loquar, doctrinam hoc loco confutari apparet; sed quum ejus doctrinae absurditatem, quam putat, demonstrare annitatur, vel primo adspectu quilibet intelliget, non esse dicendum: *fuge hoc absurdum credere, si illud absurdum credis*, sed: *fuge hoc credere, ni illud absurdum credis*; non enim ita hujus doctrinae absurditas apparet, si quidquam in se sistere posse credamus, sic enim omnia optime inter se conveniunt, sed si, ut Lucretio dicendum videtur, nihil in se sistere posse credamus. Si igitur alterum absurdum, quidquam in se sistere posse, non admittis, etiam alterum, omnia in medium niti, rejicias oportebit. Legendum igitur omnino videtur v. 1056 *ni credis*, licet codicum lectio vulgatae patrocinari videatur, si quidem collatoribus fides habenda est.

Sed ne ita quidem hic locus omni dubitatione carebit. Habet enim nescio quid inconcinni et salebrosi. Magna quidem ejus inconcinnitatis pars sublata erit, si in fine v. 1056 post *credis* plene interpunxeris, ut infinitivi, qui v. v. 1058 & 1060 leguntur, *nitier* et *vagari* ad *contendunt* referendi sint; sed tum interrupta erit oratio, quum conjunctionem causalem vel potius explicativam in versu 1057 requiras, quam ita effingere possis, si legas pro *Et Nam et*. Qui autem sequuntur versus 1058 et 1059 multo commodius se habeant, si ita eos transponas, ut locos inter se mutent; nam multo vividior comparatio fiet, si animalia suppa vagari tibi fingas, ut res in aquis supinas conspicimus. Talis autem transpositio eo minus habebit dubitationis, quum plurimis locis apud Lucretium versus etiam in optimis codicibus turbatos et ab editoribus demum, imprimis a Lambino, in ordinem redactos esse constet. Quare haud pugnem, si quis ita totum hunc locum constituendum putet:

Jllud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium summae, quod dicunt, omnia niti;
— — — — — — — — —
Jpsum *ni* quidquam posse in se sistere credis.
Nam et, quae pondera sunt sub terris, omnia sursum
Nitier in terraque retro requiescere posta,
Et simili ratione animalia suppa vagari,
Ut per aquas quae nunc rerum simulacra videmus,
Contendunt. —

Per voculam *retro* hic obviam venit mihi alius loci in mentem, ubi itidem *retro* ponitur, quod ab editoribus nondum satis intellectum esse videtur. Utitur autem poeta hac voce saepius, ubi id, quod inverso ordine, seu praeter consuetudinem fit, designandum est. In quo genere imprimis memorabilis est locus VI, 380, ubi poeta exposita fulminum ratione non sine aliqua jactantiae specie ita pergit:

Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
Perspicere, et qua vi faciat rem quamque, videre:
Non Tyrrhena *retro volventem* carmina frustra
Jndicia occultae divûm perquirere menti.

Quo loco Tanaquil Faber interpretatur: „*Retro volventem,* id est a capite ad calcem et a calce ad caput.“ Sed vehementer quaeritur, num hunc sensum *retro* habere possit; potest dicere a calce ad caput, a capite ad calcem non potest. Equidem praetulerim, quum in universum hoc loco Etruscorum disciplina traducatur, hanc vocem de modo accipere, quo literae Etruscorum, quippe quos Hebraeorum et aliarum Orientalium gentium more a dextra ad sinistram eas posuisse constet, legebantur. Hoc autem non debet opponi, non posse per contemtum dici, quod in sola consuetudine positum in se nihil habeat perversi. Omnes enim e majorum institutis cuncta aestimamus, quae cum iis conveniunt, probantes, quae iis repugnant, rejicientes et pro ridiculis habentes, ut etiam Lucretius *Tyrrhena carmina retro volvere* non sine irrisione Etrusci moris dixisse putandus sit. Quod si hic locus ita accipiendus videbitur, eo memorabilio rerit, quod de illa scribendi consuetudine Etruscorum apud scriptores antiquos nulla, quod equidem sciam, mentio alio loco fiat, eaque tota res tantum ex aliis monumentis constet. *Cf.* Ottf. Müller „die Etrusker.“ IV, 6, 7.

Libro secundo de motibus figurisque primordiorum disputat poeta, quumque docuisset 581 — 700, rem nullam in rerum natura ex unius generis figuraeque corpusculis constare, 700 — 710 addit, non tamen ideo posse corpuscula omnia omnibus conjungi, quod si fieret, portenta vulgo oritura esse. Hinc pergit rationem ejus rei addens:

Scilicet id certa fieri ratione necesse est:
Nam sua quoique cibis ex omnibus intus in artus
Corpora discedunt; connexaque convenienteis
Efficiunt motus: at contra aliena videmus
Rejicere in terras naturam; multaque caecis
Corporibus fugiunt e corpore percita plagis;
Quae neque connecti quoquam potuere neque inter
Vitales motus consentire atque *imitari.*

Ita hunc locum libri manuscripti exhibent; libri editi praeter Wakefieldium omnes v. 717 pro *imitari* e Lambini conjectura legunt *animari*, pro quo Tanaquil Faber proposuit *adque igitari* (h. e. *et adigitari*), Wakefieldius *initari*, novam uterque vocem procudens, Turnebus autem *micare* legendum esse sibi persuasit.

Sed equidem non dubitandum puto, quin codicum lectio recte se habeat. Quid enim poeta dicit hoc loco? *Sua* cuique *corpora*, h. e. apta atque commoda primordia, ex cibis in membra et artus uniuscujusque animantis discedunt iisque connectuntur et ita ea alunt; ejiciuntur aut aperte aut occulte aliena. Quae vero sint *aliena*, ipse explicat poeta, dicens ea, quae *neque connecti quoquam possint* neque *inter vitales motus consentire* neque eos *imitari.* *Vitales motus imitari* nihil aliud est, nisi, quod modo dixerat, *inter vitales motus consentire* vel *convenientes motus efficere* vel, ut infra dicit

III, 346, *vitales motus discere.* Poetice enim ita de primordiis loquitur poeta saepissime, ut tanquam personas induere videantur. Ejici igitur ea primordia dicuntur e corpore vivo, quae motus vitales reliquorum imitari cum iisque consentire non possunt.

Ita autem planus videtur hic locus neque ulla conjectura opus esse. Quae autem prolatae sunt, eae ne ferri quidem possunt: Earum Lambiniana quidem, *animari*, reliquis praestat, sed haec quoque sententiam infert, quae cum ipso Lucretio aperte pugnat; efficeret enim, ut primordiorum alia animari, alia non animari dicerentur. Negat autem infra v. 930 s. s. primordia ulla mutari et ex insensilibus sensilia fieri, quamobrem *animari* dici nulla possunt. Neque vero huc facit, quem e Cicerone (N. D. I, 39.) attulit Lambinus, locus, ubi corpora individua e sententia Epicuro contraria *formare, figurare, colorare, animare* posse negantur; ut Epicurum hoc affirmasse appareat; sed quum haec verba sensu activo dicantur, hoc dicit Cicero: *non possunt formas, figuras, colorem, animam* s. *animantem efficere*, id quod ex Epicuri sententia primordia debent; *formari, figurari, colorari, animari* non debent. Provocat deinde Lambinus ad alios locos, ubi de rebus compositis et quasi concretis illud *animari* dicitur, quod ibi bene se habere nemo negat, ut infra V, 146, ubi terram et solem et stellas animata esse negat alias res animatas esse concedens:

Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

Sed primordiorum alia animari, alia non animari Lucretius numquam dicere potuit.

Reliquorum vero commenta *adigitari, initari, micare* non videtur opus esse refutare, quum ne speciem quidem ullam veritatis habeant.

Insensilia igitur, ut modo vidimus, sunt primordia h. e. *sensu non praedita* (active sumendum, *non sentiunt*). Hoc docet v. 865 s. s. Affert ejus rei post alia novum aliquod argumentum, quod a plerisque non satis intellectum video. Dicit enim 919 s. s.:

Quod tamen ut possint; (sc. si animata primordia possent aeterna esse)
ab coetu concilioque
Nil facient praeter volgum turbamque animantum;
Scilicet, ut nequeant homines, armenta feraeque
Inter sese ullam rem gignere conveniundo.
Sicuti denique sentimus, sentire necesse est — —

Quod primum legitur *ab coetu,* conjectura legitur, sed proba, ut videtur; nam quod cuipiam in mentem veniat propius ad codicum lectionem monstrosam *eoretu* accedens *coortu,* id ideo minus videtur probandum, quod haec synizesis, in *cooperio* saepius, ut V, 343. VI, 491. VI, 1276, et in aliis admissa, in verbo *coorior,* quod sexcenties apud Lucretium legitur, nunquam invenitur. Possit etiam aliquis omissa praepositione *ab* legere *conventu*, ut Lib. I, 612 legitur, de eadem re:

Non ex ullorum conventu conciliata,

quod haud scio an reliquis praestet. Sed aliorum sit judicium, hoc constat synonymum aliquod requiri ad *concilioque*. Dicit autem poeta: Si animalcula quaedem sensibus praedita sunt primordia, nihil eorum congregatione potest fieri, nisi acervus animalculorum, non unum aliquod animal; sicut complures homines, armenta, ferae, in unum locum congregati, non efficiunt unam aliquam naturam, sed globum seu turbam hominum, armentorum, ferarum. Quae quamvis clara sint, tamen interpretes nescio quomodo de generatione, de qua poeta hoc loco non cogitavit, sermonem esse putaverunt et ex hac opinione totum locum constituere sunt conati, a quibus in errorem inductus clarissimus Knebelius, eximius alioquin poetae nostri interpres, vertit:

So wie Menschen und zahmes Vieh und Thiere der Wildniss
Nicht mit einander vereint durch Zeugung etwas bewirken.

Cujus erroris ansam dedit Lambinus, qui quod versum 923, ut in codicibus exhibetur, sensu carere perspiceret, alium vel a se excusum vel aliunde desumtum, ejus loco substituit, in quo de generatione sermo est; est enim hic:

Per Veneris res, extra homines armenta ferasque.

Sed quicumque hunc versum confinxit, a loci ratione toto, ut ajunt, coelo aberravit. Propius certe ad codices accessit Wakefieldius, qui ita legit:

Sic itidem, qua sentimus, sentire necesse est.

Sed ne ita quidem sensus aliquis huic loco aptus exsistit.

Sed quum in codicibus, ut supra posuimus, ita legatur:

Sicuti denique sentimus, sentire necesse est . .

equidem non dubitaverim hunc locum in iis numerare, quibus lacunae statuendae sint; quos in Lucretii codicibus non paucos esse Madvigius in commentatione supra laudata ostendit. Quatuor enim illis versibus 919 — 922 argumentum a coetu concilioque animantum petitum absolvitur, versu autem 923 novum argumentum, cujus summa deperdita est, incipere vel particula *denique* docere poterat. Quid autem argumenti novi hoc loco exciderit, hoc docere non videtur nostri officii esse, neque ei proclive videatur, qui Lucretii in una eademque re probanda ubertatem cognoverit.

Eidem argumentorum seriei v. 991 s. s. explicationem aliquam, qua totam de primordiis doctrinam concludit, poeta annectit, repetens et novo argumento confirmans, quod paulo ante docuerat, in primordia colorem, sensum, odorem, similia non cadere. Ibi alius locus legitur, ab editoribus temere vexatus et ab ipso Lambino ita desperatus, ut tres continuos versus 1009 — 1011 ejiciendos haud obscure innueret, in quo recentiores editores illi quidem eum non sunt secuti, sed tamen conjecturam aliquot veterum librorum impressorum admiserunt, qua omnis loci ratio perturbatur.

Exponit enim poeta a v. 991, omnem primordiorum vim in varia eorum positione esse positam; quum enim omnes res animatae tanquam connubio coeli et terrae procreentur et simili modo in coelum et terram, morte resolutae, revertantur, primordia aeterna manere, formas, quas compositione efficiant, variare; sensus, colores, similia modo oriri, modo perire. Deinde ita pergit (v. 1007 s. s.):

Ut noscas referre, eadem primordia rerum
Cum quibus et quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus accipiantque:
Neve putes aeterna *penes* residere potesse
Corpora prima, quod in summis fluitare videmus
Rebus, et interdum nasci subitoque perire.
Quin etiam refert rell.

Ad haec ita Lambinus: 1009] „Sic habent libri vulgati:

Neve putes aeterna parum residere potesse,

quam lectionem initio eram secutus: eamque sic explicabam, docens haec esse conjungenda cum iis, quae antecedunt, *Ut noscas referre*, etc. *Neve putes* etc. id est, vel, ut ne putes, quia corpora prima perpetuo jactari et fluitare videmus in extremitate rerum naturalium et interdum videntur nasci, subitoque interire: (Nam re vera neque oriuntur, neque intereunt) ut ne igitur idcirco putes aeterna esse non posse etc. Nunc autem profiteor ac testor — — — me in omnibus libris manuscriptis reperisse scriptum,

Neve putes aeterna *penes* residere etc.

Atque hanc scripturam nunc secutus sum: quam quidam sic interpretantur, Neve putes corpora prima posse residere penes profundum immensum: nulla aut certe absurda (ut mihi quidem videtur) sententia. Omnino hoc *penes* sic positum quid sibi velit, aut quo pertineat, non est facile mihi quidem exponere. Turnebus *penes aeterna residere* sic explicat, *in aeternis textis remanere.* Ego mallem sic: neve putes corpora prima residere posse penes aeternitatem omni motu privata. Putavi aliquando legendum *minus* pro *penes*: deinde statim venit in mentem, *residere aeterna* pro *remanere* seu *manere aeterna*, genus esse loquendi non satis Latinis usitatum. Quare tutius esse scripturam antiquam integram atque intactam retinere, etiamsi ejus sententia obscura sit. Dicam tamen, quod sentio, libere, his tribus versibus sublatis *Neve putes* etc. *Corpora prima* etc. *Rebus* etc. nihil de hujus loci sententia deperiturum: quin etiam eorum interpositu sententiam totam obscurari et corrumpi."

Ex hisce magni viri verbis apparet, eum, nulla aut absurda, ut ipse fatetur, sententia, *corpora prima* v. 1011 pro Accusativo subjecti accepisse et ab *aeterna* disjunxisse, *quod* autem pro conjunctione causali sumsisse neque de alia verborum structura longe faciliore cogitasse, in quo eum omnes reliqui editores secuti sunt; at ita locus

3

intelligendus est: ut *quod sit* relativum, et subjecti loco haec tota enuntiatio fungatur: *quod in summis rebus fluitare videmus et interdum nasci subitoque perire*, *penes* autem cum *corpora prima aeterna* jungatur et talis ordo verborum sit:

Ne putes, (id,) *quod in summis rebus fluitare videmus et interdum nasci subitoque perire*, (h. e. colores, sensus, odores rell.) *potesse residere penes aeterna corpora prima* (h. e. inhaerere posse primordiis aeternis).

Quem sensum et cum verbis totiusque loci ratione et cum Lucretii disciplina convenire nemo negabit. Quod autem recentiores editores, Marullum secuti, *parum* legunt, ne ferri quidem potest, efficeret enim, ut corpora prima in summis rebus fluitare et interdum nasci subitoque perire dicerentur, id quod aut nullum aut perversum sensum praeberet.

Ut primordia sensu carere doceat poeta, II v. 963 s. s. hoc utitur argumento: Sensus aut doloris aut voluptatis est; dolor tunc fit, ubi primordia, ex quibus aliquod animal compositum est, e suis sedibus commoventur, voluptas, ubi in sua loca remigrant, quorum neutrum in atomis fieri potest, quum jam non amplius atomis constent: quam rationem his versibus reddit (969 s. s.):

Quandoquidem non sunt ex *ollis* principiorum
Corporibus, quorum motus novitate laborent
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almae.

Quam lectionem ita explicat Wakefieldius: Quandoquidem principiorum corpora non sunt ex illis („principiorum") corporibus, quorum motus laborent, (h. e. soleant dolorem pati) aut capiant fructum dulcedinis (ex) novitate".

Sed haec explicatio multis nominibus vituperanda est; nam primum Lucretio circulum in probando obtrudit, cum jubetur dicere,: Corpora nullo dolore tentantur nullamque voluptatem capiunt ex se, quandoquidem non ex iis sunt, quae soleant dolorem pati aut fructum dulcedinis capere. Deinde ex ea explicatione duo genera principiorum videntur statui, alterum eorum, quae dolorem et voluptatem soleant pati, alterum eorum, quae non soleant.

Denique quî dici potest, principiorum corpora (genus totum) non esse ex illis principiorum corporibus, quae rell.? nonne hoc esset dicere, genus non esse speciei aliquam speciem?

Quas omnes difficultates effugimus, si cum omnibus prope codicibus legamus *ullis* pro *ollis*, ubi hic sensus existet: neque dolor neque voluptas cadit in primordia, quandoquidem non constantex ullis primordiis. Dolor enim et voluptas requirunt primordia, quorum solli-

citatione seu commotione gignantur. Primordia autem ipsa jam primordia *ulla* „proporro" non habere patet, quum, ut libro primo demonstratum est, solida simplicitate polleant, quamobrem neque dolore neque voluptate ea affici possunt. Hoc autem nemini dubitationem movebit, quod *esse ex ullis principiorum corporibus* dicitur pro *constare ex ullis corporibus.*

Quos adhuc locos emendasse nobis videmur, eos prope omnes codicibus nisi tractavimus, sunt autem etiam alii non pauci, in quibus nihil auxilii a codicibus peti possit. Qui aut ejus generis, ut codicum lectio aperte corrupta sit, aut ita comparati sunt, ut primo adspectu omnia sana videantur, paullo autem accuratius consideranti depravationem subesse appareat.

Atque hujus quidem generis depravationem IV, v. 148 mihi deprehendisse videor. Occupatur autem poeta primo hoc libro in exponenda simulacrorum doctrina, quae in ratione Epicurea maximi momenti est. Neque vero me fugit, quantis difficultatibus totus hic locus impeditus sit, quas magnam partem e lacunis ortas esse putaverim; sed eas hoc tempore non lubet attingere. Haec tantum adnotemus, a v. 145 de rebus pellucidis et non pellucidis et earum causa esse sermonem, in rebus autem pellucidis de iis, quae imaginem acceptam rejiciant, quaeque non rejiciant. Atque haec ita dicuntur:

> Semper enim summum quidquid de rebus abundat,
> Quod jaculentur; et hoc, alias quum pervenit in res,
> Transit, ut imprimis *vestem;* sed ubi aspera saxa
> Aut in materiem ligni pervenit, ibi jam
> Scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit.
> At quum, splendida quae constant, opposta fuerunt,
> Densaque, ut inprimis speculum est, nihil accidit horum:
> Nam neque, uti *vestem,* possunt transire rell.

Ita codices manuscripti et editores sensu perspicuo hunc locum exhibent. Sed quae exempli causa affertur *vestis,* num ea satis quadret, dubito. Vestisne enim proprium est, ut pellucida sit? Minime vero, si quid video, sed *vitri,* ut ipse Lucretius v. 604 h. ipsius libri et VI, 991 testatur; quare utroque loco et v. 148 et v. 153 *vitrum* pro *vestem* puto rescribendum esse. Quae mutatio eo facilior erit, quum literarum ductus non multum inter se differant; neque codicum consensus in lectione *vestem* quemquam nimis debet movere, si verum est, quod Madvigius post Orellium ostendit, omnia exemplaria, quae supersunt, ex uno aliquo eoque pluribus locis manco atque corrupto et ad legendum difficili codice archetypo fluxisse.

Neque vero sum nescius, Lambinum hanc *vestem* de Coa veste dictam putare, sed si ita poeta intelligi voluit, hoc ei indicandum fuit. Nemo, qui quidem se intelligi volet,

ubi de proprietate speciei seu formae alicujus sermo est, generis nomen ponet. Aut quis unquam, ubi exemplum avis albae ponendum erat, *imprimis corvum* dixit, quod hic illic corvus albus inveniatur, aut ubi bestiolae in arvis degentis exemplum requireretur, *piscem* dixit, quod anguillae interdum in arvis latere dicantur? Non vero multo minus absurdum fuerit, rei pellucidae exemplum *vestem* pro veste Coa ponere, quae ne ipsa quidem satis commodum exemplum praeberet. Neque vero mos est poetae nostri, ut exempla obscura et minus apta, sed ut in quavis re propria ponat, ut in his ipsis versibus, ubi splendidae rei exemplo opus erat, dixit, *imprimis speculum,* poterat aquam, poterat glaciem ponere, ubi Libro III, v. 267 exemplum rabidae et ad iram pronae ferae ponendum erat, dicit, *quo genere imprimis vis est violenta leonum*, et sic ubique.